



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 1002. Immunitatos Ecclesiastica quid sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

TITULUS XLIX.

De immunitate Ecclesiastica.

CAPUT I.

De immunitate Ecclesiastica in genere & in specie de immunitate locali quò ad actiones in locis sacris prohibitas exerceri.

Quest. 1002. Immunitas Ecclesiastica quid sit & quotuplex?

R Esp. Ad primum immunitas Ecclesiastica, accepto hoc nomine pro ut liberationem à munere (quod hic onus significat juxta *l. munus ff. de V. S.*) aliquantò latius, pro ut tres suas species comprehendit, dum aliàs AA. plures distinctionem faciunt inter immunitatem Ecclesiarum, quæ competit locis sacris, & immunitatem Ecclesiasticam quæ personas ecclesiasticas resque earum respicit, de quo vide *Reiffenst. h. t. n. 3.* describitur passim, quòd sit jus, quo loca, res, personæ Ecclesiasticæ ab onere communi & obligatione liberæ seu exemptæ sunt. *Suar. de immunit. Eccles. l. 4. c. 1. Azor. Inst. mor. Tom. 2. l. 9. c. 8. Delb. de immunit. Eccles. c. 1. dub. 1. n. 3. Paulò fusiùs eandem describit. Reiffenst. h. t. n. 4.* quòd sit jus, quo Ecclesia aliaque loca sacra, nec non personæ Ecclesiasticæ resque earum liberæ & exemptæ sunt à muneribus seu oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati & reverentiæ debitæ repugnantibus, quæ postremæ particulæ adjiciuntur, ne à definitione excludatur immunitas localis, etiam ratione asyli, dum extractio è loco asyli est actus repugnans ejus reverentiæ & sanctitati.

2. Resp. Ad secundum: immunitas ecclesiastica, pro ut constat ex jam data ejus definitione est triplex, nimirum localis, quæ est jus competens Ecclesiis aliisque locis sacris ac religiosis, vi cujus actus profani seu sæculares in iis exerceri non possunt, & malefactores illuc confugientes in vita & membris proteguntur, ita ut inde extrahi nequeant, pro ut sumitur ex *c. Ecclesia h. t. in 6. can. non oportet. dist. 42.* Reals, quæ est jus inhærens rebus & bonis ecclesiasticis personarumque ecclesiarum quò minus iis onera pendendaque tributa & similia imponi possint. Personalis, quæ est jus inhærens ipsis personis ecclesiasticis, vi cujus gravari non possunt exactionibus, tributis, aliisque præstationibus. De quorum singulis *c. seq.*

Quest. 1003. Quo jure immunitas ecclesiastica introducitur?

R Esp. primò: cum immunitas hæc se extendat ad diversa nimirum loca, res, personas, in quibus quò ad præsens quæsitum non videtur esse par ratio de immunitate, ut sic pariformiter quid statui nequit. Sed loquendum diversimode; ac primò quidem immunitatem à cognitione & judicio sæculari respectu causarum spiritualium, nimirum respicientium fidem, Sacramenta, cultum divinum, esse juris divini positivi seu originarii immediatè à Deo; cum dicta cognitio & judicium soli petro &

jusque successoribus concessa à Christo his verbis: *Tu es Petrus & supra hanc petram &c.* idque ita etiam, ut non solum ecclesiastici sed & laici omnes quò ad has causas subducti sint jurisdictioni, ac consequenter cognitioni & judicio sæcularis potestatis. ac ita docent *Covar. 99. pract. c. 31. num. 2. Molin. Tom. 1. i. d. 1. concl. 2. Suar. de fide l. 4. de immunit. Eccl. c. 2. & per tot. Fannac. l. 1. pract. lit. & q. 8. n. 2.* & alii, quos citat & sequitur *Delb. c. 1. du. 2. f. 1. n. 5.* Secundo. Item de immunitate ecclesiasticorum quò ad causas temporales, puta solutionem tributorum, punitionem criminum, obligationem legum civilium esse de jure divino positivo, saltem dictante, astruit (nomine tamen non tam suo, quàm aliorum, ut videtur) *Delb. l. c. à n. 6.* multumque probat, tum ex veteri testamento *Genes. 47.* factò Joseph. dum totam terram Egypti Pharaoni tributariam fecit, terram verò sacerdotum exemptam à tributis. *Esdra c. 71.* factò Artaxerxis, quo voluit sacerdotes & levitas templi esse liberos à tributis. Unde infert hanc immunitatem esse à Deo saltem instinctivè, dum, si lumen naturale dictabat hanc immunitatem convenire sacerdotibus veteris legis, multo magis dicitur eam convenire sacerdotibus legis novæ: utpote quorum dignitas & functio est longe nobilior, & Principibus reipublicæ utilior. Probat item ex variis textibus juris & Conciliorum, ut dum *c. quanquam. de censib. in 6.* dicitur: *Ecclesia Ecclesiasticæque persone ipsarum non solum jure humano quin & divino à secularium personarum exactionibus sunt immunes & Trid. sess. 25. c. 20. de reform. ait. Ecclesia & personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constituta est.* Item ex Rotæ decis. in *una Albanens. Gabelle de die 28. Jun. 1630.* apud *Delb. l. c. n. 20.* ubi Rota definit. immunitatem Ecclesiasticam non solum quò ad personas, sed & quò ad eorum bona esse de jure divino. Ac denique pro sententia, quod hæc immunitas sit de jure divino saltem positivo, etsi non ab eo immediate, saltem ab eo dictante seu instinctivè citat *n. 25.* immensam celeberrimorum AA. turmam. Verum rectius hanc immunitatem quò ad causas civiles resque & personas ecclesiasticas non esse juris divini, neque positivæ, neque naturalis, sic probatur à posteriore, quod Ecclesia olim, ut constat ex testimonio *S. Ambros. c. 26. si tributum n. 1. q. 1. & ex can. 22. caus. 23. q. 8.* ex agris suis solvebat tributa etiam Imperatoribus Christianis, quod non fecisset aut fieri passus esset, si putasset se jure divino exemptam esse, & specialiter, quod non sit immediatè ex jure divino naturali, ex eo constare videtur, quòd character clericalis ex se seu ratione sui non eximat clericum à jurisdictione & potestate sæculari, cum ex se solum habeat deputare hominem divino cultui quæ